



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Regium assensum in Italiam quoque intulit, contra morem Karoli magni. Tum electio Romani Pontificis subjecta erat ordinationi Imperatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ingerendis personis abstinere, sive, ut Florus loquitur, ministerium suum in hoc negotio adjungerent, non autem praeferrent.

V. Perstringit non obscure quod Ludovicus ipse, assensum suum amplificans, tentabat hoc tempore adversus libertatem electionum edicto suo firmatam. Commendabat enim eos qui sibi grati erant, Clericis & populis, ut decreto suo illos eligerent, sicque electorum vota suis literis antevertebat. Exerat ejus rei illustre exemplum in vita Friderici Episcopi Trajectensis. Anno quippe MCCXXI. aut circiter, *Kicfridi obitu comperto, per Legatos suos mandavit Trajectensis Ecclesie senioribus ut Fridericum sibi Episcopum deligerent, & electum cum summo honore ad ipsius palatium adducerent, nesciens omnes Trajectenses id ante decessisse quod ipse & primates ejus perciperent.*

VI. Enimvero praeter Flori testimonium, quo docemur consultationem ad Regem missam post electionem, adducenda sunt epistola Senonensis Ecclesiae ad Iudith Imperatricem, ad Hilduinum Archicapellanium, & Einhardum, apud Sirmondum in appendice ad tomum secundum Concil. formula decima. Vacabat sedes Senonensis ex obitu Hieremiae Episcopi, qui acciderat anno MCCXXVI. die VII. Decembris. Ecclesia licentiam à Ludovico obtinuit eligendi Episcopum è suo clero. Sed electum sibi oblatum Imperator rejecit, concessio tamen beneficio secundae electionis. Alter eligitur, qui repulsus est à Missis Dominicis. Unde Senonensis Ecclesiae Clerici postulant ab Imperatrice ut causa suspendatur donec electum ipsi deducant ad Imperatoris praesentiam, & tunc *discutatur ac probeatur, inquit, si nobis prodesse valeat, & in servitio vestro aptus esse possit, an minus.* Idem suppliciter postulant ab Hilduino Archicapellano, *ut dignationis ejus judicio aut suscipiatur, aut reprobetur.*

Pro jure enim sui muneris ecclesiasticas causas in palatio distringebat Archicapellanus, ut docet Adalardus apud Hincmarum, & inscriptio hujus epistolae ad Hilduinum *saecris negotiis à Deo prelatum.* Ex hujus causae serie discimus electionum formam cum regio assensu duplici conjunctam. Primus datur pro gerenda electione. Secundus pro admittenda electi persona; sic tamen ut repellere possit. Porro inter ceteras causas repulsae canonicae haec quoque civilis erat examini regio subiecta, *si minus aptus esset servitio Regis, ut loquuntur Senonenses.*

VII. Itaque cum ad se traheret electionum summam Ludovicus, prudenter moneatur anno MCCXXIX. à Concilio Parisiensi lib. III. cap. XXI. (quod refertur in Ad-

dir. ad Capitul. lib. III. cap. XXI. I.) ut magnum studium & solertissimam curam adhibeat in bonis rectoribus Ecclesiae constituendis. *Quia si aliter factum fuerit, inquit, & ordo ecclesiasticus suam non habeat dignitatem, & religio Christiana in multis laesactanda detrimenti sui jacturam patietur, & anime vestrae, quod non optamus, periculum generabitur.*

VIII. Neque verò se intra Gallias continuit in exercendo assensu suo, quin potius eum in Italiam quoque protulit, contra morem Caroli magni, qui à negotio electionum episcopatum in regno Longobardorum abstinuerat, ut superius monuimus. Fortasse tamen post adeptum Imperium potestatem illam regiam in Italiae regno Carolus usurpavit, ut colligi posse videtur ex Floro, qui solam Ecclesiam Romanam & subiectas illi Ecclesias, id est, quae pendunt à metropoli Romana, ab interrogatione Principis, id est, ab ejus assensu electionibus praestando immunes esse scribebat anno octingentesimo vigesimo. Obnoxia ergo erant ceterae. Sed quae liberae felicitate fuerant ab ea necessitate in Romana metropoli, factae sunt postea illi obnoxiae à Ludovico Pio. Ille quidem liberam electionem Romani Pontificis reliquit clero & populo edicto suo, quod tamen non pugnat aperte cum assensu regio. Post annum MCCXX. electus Gregorius quartus, *non prius ordinatus est quam Legatus Imperatoris Romani venit, & electionem populi qualis esset examinavit,* ut legitur in annalibus Bertinianis. quod Platina etiam observaverat. Asserta quidem est tandem in libertatem posterioribus seculis Romana Ecclesia. Sed quod in ea tunc inductum est à Ludovico, in ceteris Ecclesiis Italiae, non excepta etiam metropoli Romana & subiectis, locum habuit etiam Lotharj & sequentium Imperatorum temporibus; qui electiones canonicas, quas suo assensu & praesidio juvare tenebantur, potestate sua turbant, sibi quoque, conniventibus quoque Pontificibus Romanis, vindicarunt, cujus rei testimonia extant apud Gratianum & passim in epistolis Ioannis octavi.

Vide Momi Notat. ad Capitul. pag. 114.

Vide lib. 4. cap. 7. §. 5. & Baluz. j. No. 1. ad Lupum Ferrar. pag. 389. 431. 443.

CAPVT XV.

Synopsis.

I. In Gallis species quaedam electionum servata est. Nam Princeps electionem fieri concedebat. Dein, electione facta, facultates Ecclesiae committebat dispositioni electi, suisque literis ad Metropolitanum & coepiscopus ordinandum trans mittebat.